mihi spes est. id omnem in deo patre sperat salutem. ad eius laudem omnia facit opera. Quis dabit ex sion salutare israhel. quasi sub intelligitur non
deus pater dabit. id faciet ex sion. id ex populo iudaico. i. incarnari christum. ut sit salutare israhel. id ecclesiae gentium. Quis inquam in deorum
hoc dabit. non solus deus pater. nemo umquam alius. Per sion quippe loco in hoc iudaicum populum intelligimus. ex quo christus secundum carnem natus est. ut
esset salutare israhel. id redimeret et saluaret gentilem populum. qui per israhel designatur. iuxta hunc sensum esaias inquit. Verbum misit dominus in
iacob. et cecidit in israhel. Christum uidelicet ex iudeis nasci fecit. et cecidit in israhel. cum fides eius ad gentiles transiit. Cum auerterit dominus cap
tiuitatem plebis suae exultabit iacob. Primum dominus filios israhel de seruitute egyptia liberauit. introducens eos in terram promissionis
Sed ipsi se iterum potestati diabolicae per idolatriam tradentes. sui conditoris offensam incurrere. Tandem quoque captiuitatem in dies peccata
multiplicando auxere. quo adusque christus in tenebris huius uitae emicuit. qui iugum nostrae captiuitatis dissoluit. Sed quoniam iudaica perfi
dia in sua incredulitate impenitens restitit. duriori se captiuitatis laqueo irretiuit. Cuius tamen captiuitas soluetur ad praedicati
onem heliae et enoch. cum ad eorum praedicationem omnes in christum iudei crediderint. iuxta quod apostolus dicit. Cum plenitudo gentium intrauerit.
tunc omnis israhel saluus fiet. tunc utique exultabit iacob. id iudaicus populus. iam uere salutis heres effectus. et laetabitur israhel. id ecclesia gen
tium de saluatione iudeorum.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo. Interrogat propheta
dominum quis dignus sit habitare ei in tabernaculo. Tabernaculum autem dicitur quasi tabernae cenaculum. Et sunt tabernacula domus
expeditionales. quibus milites in expeditione belli se tuentes omnes in itinere utuntur. Significat uero uel humanum corpus uel sanctam
ecclesiam. Corpus iuxta quod beatus petrus dicit. Velox est depositio tabernaculi mei. Sed et antiquum hebreorum populum quadraginta annis
in heremo. illa nouissima legimus commoratum. Tabernaculum etiam dei a moyse in deserto legitur factum. eo quod significat sanctam
ecclesiam in qua fit semper sei. ad pugnam contra diabolum praeparati. quae etiam futuram patriam inquirentes. peregrinos se in presenti uita
militare esse. Aut quis requiescet in monte sancto tuo. Mons sanctus dei est superna hierusalem. in qua est uera requies. id aeterna beatitu
do. Dicit ergo propheta interrogans. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo. aut quis requiescet. id quis ita dignus in hoc mortali corpo
re poterit commorari. aut etiam inter fidelium societatem conuersari. ut statim ex hac uita digrediens in uerae beatitudinis monte
mereatur introduci. Qui ingreditur sine macula. Introducitur spiritus sanctus respondens. quia meretur ingredi sine macula. id sine cri
minali actione. Nam absque peccato nemo potest uiuere. sine criminali uero delicto. multi sanctorum student esse. et hi merentur dig
ne in tabernaculo dei. et monte sancto eius requiescere. De quibus psalmista alibi. Beati inmaculati in uia. qui ambulant in lege domini. Et
sciendum has quidem uirtutes morales esse. et ad omnes generaliter electos pertinere. Sed tamen et ad christum quadam deferuntur specialitate.
qui eas singulariter et specialiter nouit adimplere. Ipse namque sine macula ingressus est. quando delatus a parentibus in templum a syme
one iusto exceptus est. qui peccatum non fecit. nec inuentus est dolus in ore eius. et omnino illa purgatione non eguit. Et operatur iustitiam.
Sub ille habitabit in tabernaculo dei. non enim sufficit malum non agere. nisi quis studeat et in bono opere exercere. Christus etiam iustitiam
operatur. quando bonis bona. et malis mala unicuique iuxta quod meretur rependit. Qui loquitur ueritatem. i. quod corde et ore u
consequitur. Qui non egit dolum in lingua sua. id quia nullum dolose decepit. nulli fraudes machinatus est. quod utique nec christus fecit. Ipse
etiam ueritatem locutus est in corde. quia uera omnia annuntiauit in sua praedicatione. Nec fecit proximo suo malum. Si de homine
accipias. non fecit malum proximo suo. id omni christiano. Omnes enim in christo fratres sumus. Si autem de christo intelligas. non fecit proximo suo malum
id populo iudaico. qui ei proximus est. quia secundum carnem ex iudeis parentibus natus est. quibus malum non fecit. Immo multa bona operatus est. mi
racula eis plurima patrando. a demoniis liberando. quin etiam infirmos eorum sine numero munerauit. Et obprobrium non
accepit aduersus proximum suum. id accepta iniuria non se statim uindicauit. nec malum pro malo reddidit. Siue etiam obprobrium
alteri nequaquam libenter audiuit. Sed et christus non accepit obprobrium aduersus proximum suum. id aduersus iudam. qui unus fuit ex apostolis.
quos ipse fratres appellauit. Non accepit inquam obprobrium aduersus iudam. quia malum traditionis eius aperte improperare noluit. Sed cum
interrogaretur a beato iohanne in cena. domine quis est qui tradet te. Noluit eum aperte infamare sed ex signo ostendit de eo dicens.
Cui porrexero intinctum panem de manu mea. ipse est qui me tradet. Quod si legas. non accepit obprobrium aduersus proximos
suos. tunc sunt iudei qui improperabant christo dicentes. Nonne benedicimus nos. quia samaritanus es tu. et demonium habes. Sed christus
non accepit aduersus eos obprobrium. quia noluit respondere eos potius demonio plenos esse cum utique id uere posset dice
re. Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus. In conspectu eius. id uiri iusti. ad nihilum debet malignus homo de
duci. atque ut beatus ieronimus dicit. etiam si rex uel episcopus fuerit. non debet honorari prius dummodo si malus sit. Siue etiam
malignus id diabolus in conspectu christi ad nihilum deductus est. quando ei dixit. Vade sathanas. dominum deum tuum adorabis.

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 25 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos (http://www.e-codices.ch/en/csg/0312/25)